



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sapiente Fructuoso Epistolares Libri quinque

Bonifacio, Juan

Ingolstadii, 1606

Liber adiunctus de recta institutione

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51159](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51159)



DE RECTA IN-
STITVTIONE,
LIBER.

*Cuiusdam egregio praeceptori, de institu-
tionis fructu puerilis.*

QUIDEM temporis, illius^o,
quo vna fuimus, sermones, &
colloquia reminiscor, nec il-
obliuisci possum, quæ de muneris^o
ius utilitate, & fructu exclamans, &
æ lætitia exultans his verbis affirma-
uit: Puerilis institutio mundi renoua-
tio est, hæc gymnasia Dei castra sunt:
hic bonorum omnium semina latent:
hic deo solum, fundamentumq; reipu-
blicæ, quod multi non vident inter-
stitium terræ, esse enim lynceos oportet
esse eos, quorum hæc sint oculis subui-
denda. Hæc meæ vigiliæ erūt, hic labor,
hic opus, quid enim melius esse po-
tuit, quam agnos pascere, quos qui cu-
rant, suū amorē Deo probant & homi-
nibus

Matth. 23.

nibus? quid utilius, quàm tenerentur compl
que flexibiles puerorum animos, ne ex
legantiam sermonis informare, ne mult
ligionis, ac sanctitatis præceptum, ne
buere? funes ceciderunt mihi in pre
claris: suadebo discipulis (perius, ali
Dei est, & rerum omnium prosperitas, ali
uentus) quas literas à me condiscens, t
carum literarum infirmam gloriam, t
esse, nisi perpetuo erga summum De
um amore, & studio fulciatur. Ad
lescentes à fallacibus, obliquis, & in
diosis itineribus, quantum in me fue
rit, conabor auertere, quæ sunt incur
da oculis specie quadam voluptatis, t
obiecta, ut ab illis se contineant idem Soci
tatem admonebo: viam virtutis sim
plicem, rectam, apertam, principio
difficilem, exitu salutarem, sancto
rum hominum signatam, impressam
que vestigiis, ut ingredi velint, hort
bor, nec erit ut spero, docendi, & ad
monendi inanis hic labor. His ver
bis & te ipse excitabas, & alios in ean
dem istam curam, ut alacrius incum
berent, permouebas. Est enim magna
exem-

LIBRARIUS
N. V
12

go
a.
122
sa
122
c. la.
122
n. as
122
p. in
ne
122
se.
122
no
cri

empli vis, magna item orationis,
ex ore tuo ardens, & inflammata
multorum & aures, & animos ve-
cebat: verum te augurem, & conie-
cturam fuisse monstravit euentus:
nam enim cunque te in partem ver-
tis, aliquid videbis, cuius te non pœ-
deat: temporum illorum inopiam,
sænituræ fœlicitatis spe tolerabas, quæ
tantam iam est, vt istam messem, vel ma-
gnum concionatores tibi inuideant.
Prophetas, & mi-
nistrum dedit, monachos claustra
non capiunt, omnium scientiarum
doctores, qui sint vel esse possint,
Societatis gymnasiis Dei benefi-
cio prodierunt, causæ multis in locis
nostris discipulis iudicantur, regi-
strati auditores, urbium senatores non
paucos, numeramus ex his, qui no-
stros quondam libenter audierunt,
& ad summis honoribus, quid inimici
timeant, quid amici sperent, & augu-
rentur, vides. Neque tamé potentiam
illam somniamus, cum id vitæ susce-
ptæ ratio minimè patiat: tantum
propter

propter fructuosos labores Societatis
noſtræ gratiam aliquam, & auctori-
tatem apud magiſtratus, quorum
ipſa magiſtra fuerit, pollicemur, qua-
vratur pro ſalute bonorum, vt ille-
xit, contra amentiam perditorum.
Omnes enim omnium ordines educa-
tio hæc noſtra complectitur, hinc præ-
fecti urbium, præſides prouincia-
rum, domitores hoſtium, quaſitores
criminum, iudices cauſarum: hinc
medici morborum, hinc paſtores no-
ouium, ſed animarum, hinc rerum
publicarum moderatores, hinc regum
conſiliarij, hinc principum familia-
res atque intimi, hinc Epifcopi, hinc
Cardinales exiſtunt, hinc denique
ſummus ille Antiftes Eccleſiæ caput
enafcitur: de cuius educatione Roma
non taceat, id quod Gregorij ſeptimi
electionis noua illa, & inuſitata for-
ma ſignificat, quam ex Platina &
Blondo didicimus, quæ ſic habet.

*Nos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardines,
clerici, acolythi, ſubdiaconi, præſbyteri, præ-
ſentibus epifcopis, abbatibus, multisq; con-
ſtitutionibus eccleſiæ*

Matth. 2.

ge

a.

ia

aa

ia

o. la.

i. la.

n. as

a. ta

p. in

r. ne

i. ſte

se.

im

no

cri

ecclesiastici, tum laici ordinis eligimus hodie
Kalendas Maij in basilica sancti Petri
vincula, anno salutis. M. Lxxij. in ve-
nicam Christi vicarium Hildebrandum ar-
chidiaconū, virum multa doctrina, magna
sacris, prudentia, iustitia, constantia, reli-
gionis, modestum, sobrium, continentē, do-
minam suam honestē gubernantem, pauperi-
bus hospitalem, in gremio sancta matris
ecclesia liberē à teneris annis educatum:
quem quidem cum ea potestate Ecclesiæ
Dei præesse volumus, qua Petrus manda-
vit Deo quondam præfuit. His verbis
renunciatus est Pontifex Hildebran-
dus, qui se Gregorium septimum
appellari voluit, itaque vixit, ut
in insolitæ electionis gloriæ, hisque
difficilibus principiis optimè respōderit.
Nec dubito quin tale quid vel nos,
vel nostri sint visuri nepotes, qua-
rum de Alexandro scribunt historici,
qui Homerum, cuius perstudiosus
in pueritia fuerat, etiam vir diligentis-
simè lectitabat, & cū esset dormiturus
sub puluino locabat. Romanum Pon-
tificem Eugeniū III. diuus Bernardus,
qui

Matth. 2.

qui eius adolescentis rector admonitorq; fuerat, præceptis & consiliis uare non destitit, quæ orbis ille Christiani moderator, & princeps libenter audiebat: ut quid præceptoris vox possit, admonitioque noscamus. Nã qui magister est omnium, & eum locum tenet, infra quem sunt omnes dominatus, eius, qui se docuerat, cum monachus abbati aliquando paruerat, accipit, obseruatque consilia. O grauissimam præceptoris auctoritatem! cui celsitudinem illam, qua nihil potest esse sublimius, vel oraturo simpliciter, vel liberiùs admonituro uenua non clauditur: monet, instruit, hortatur Bernardus Eugenium, neque sumus ille Christiani pater imperij aures vacuas attentasq; non præbet. Res utinam eat, quo pede cœpit, uigeat societatis hæc disciplina, confitemur hic usus, qui sanctissimè uiuant qui optimè erudiant, minimè desint, qui literas voce, virtutes vita ipsa perdoceant: plurimi numerètur: non dubito quin si habeat Bernardos Ecclesia

clesia,
Memo
rum
virtute
benefi
que v
imGo
enam,
gigata
entut
uales
et, mo
nas,
cedef
eCaro
nes per
um bo
quadri
quibus
sipient
um n
que ad
unt. N
rumqu
oli In
gùtini

LIBRARIUS
N. V.
12

ge
a.
isa
sa
iii
c. lxx.
lxx
n. ad
a. sto
r. in
ne
ite
se
m
no
eri

lesia, sit etiam Eugenios habitura. Memoriae prodidum est, Sturmium virum non modò genere, sed etiam virtute, scientiaque nobilem eorum beneficiorũ authorẽ fuisse Germanis, quæ verè appellantur bona. Cùm enim Germaniam à literis, & pietate alienam, variisque bellis, & seditionibus agitatam vidisset, nec Germanæ iuventutis indolem improbasset, quæ quales magistros haberet, talis fere esset, morum, doctrinæ & pietatis officinas, id est, scholas optavit erigere, nec defuit volũtati facultas. Nam fauente Carolo illo magno in vastas solitudines penetrauit, Fuldeseque cœnobium bonis auspiciis adificauit. in eo quadringentos monachos docuit, ex quibus multi, qua erant eruditione, & sapientia, ex Græco sermone in latinum multa vertentes gymnasium atque aedes insigni bibliotheca nobilitauerunt. Ne autem studiorum studiosorumque moles tanta concideret, Caroli Imperatoris, & Bonifacij Moguntini Archiepiscopi liberalitas sum-

Ss

ma

ma prouidit: monasteriū enim quod
 à Fulda fluuio nomen acceperat, a-
 gris, possessionibus, p̄diis, pecuniis, re-
 ctigalibusq; amplissimis uterque lo-
 cupletauerunt. Difficile explicatu est,
 quantos & quales viros schola Fuldae
 sis enutriuerit, ex qua velut sapientia,
 eruditionis, ac optimorum morum
 poenu tot Episcopi, Archiepiscopi, &
 Cardinales, mundo exhausto quo-
 dammodo doctorum virorū ingenis,
 prodierint. Ex hoc Gymnasio summi
 Pontifices, Ecclesiarum præsules, hinc
 summum Imperium senatores, & con-
 siliarios, hinc cæteri principes rerum
 suarum tutores, & curatores petebant.
 Hæc tibi, ut spero molesta non erunt,
 declarant enim quantæ sit utilitas, &
 fructus religiosa institutio, quam pro-
 fuerit illa domus, in qua doctrinae
 studia viguerunt, virtus floruit, & sa-
 pientia vtriusq; particeps triumphauit.
 Nec verò eadem Germania à nos-
 tris hominibus non similiter adiuua-
 tur, quæ multò miserabilior ostensa
 natio est nostra, patrumque nostro-
 rum

in memoria, quàm olim Sturmio, collegiisq; nostrorum ita reficitur, ut statim pristinum breui recuperatura esse videatur. Multi (miserum me) multi, inquam, ab Ecclesia Romana defecerunt, sed hæc noua gymnasia sperant salutis per eruditos adolescentes omninò reuocandæ. Nam Septentrionis frigora, quibus sanctitas congelaret, præceptorum, quasi veterum flatu leniore, ac tepidiorè remittuntur: nixq; iuuenili ardore dissoluitur. Plurimi enim adolescentes, ut ex verissima historia manu scripta perdidici, quæ tibi ignota non est, illis diebus, quibus per matrem Ecclesiâ carnibus vesci non licet, solo pane contenti cubant, Danieleque, & Danielis socios illos imitati, qui cibos lege prohibitos ne primoribus quidem labris gustauerunt, suauissimè & abundantissimè se esse pastos arbitrantur: multi parètes impietatis auctores, suasoresq; repudiant, & reiiciunt, sibiq; patres esse negant, quibus ipsi filij non sint. Non defuit, qui qua-

tuor ipsos dies ab omni se cibo contineret, vt contubernaliū quorundam vetita comedendi licentiam flagitiosam, & nefariam suo exemplo refrenaret. Sed & alius rem est aggressus non infacetam: cū enim domi suæ torrerī carnes videret illo in die, quo catholicis hominibus tali genere ciborū solet interdici, coqui ipse functus officio ad ignē accessit, cinerēq; obsonium ita condiuit, vt prorsus inutile redderet: fuit qui socij libros heresi infectos in flammam coniiceret: fuit qui sororem febris iactatam sanaret non Galēi Hippocratis uē medicamentis vsus, sed admonita sorore, vt sanctissimam Dei matrem oratione Dominica, & salutatione Angelica, sibi propitiā faceret, confessionis, & Eucharistiæ Sacramenta perciperet, quæ vbi mulier effecit, & animi est, & corporis morbo liberata. Sed nihil æquē præclarū, atque hoc, quod iam tibi referam iisdē verbis, quibus scriptū legi: sic enim fiet, vt fidē mihi habeas maiorem. Cū enim ad meas ma-

nus

...us literę annuę provincię Rheni
...peruenissent, mirabileque pueri ex-
...emplum legissem, partem illam de-
...scribendam curavi, quę sic habet: *Præ-*
...ptores nostri discipulorum opera plurimos
...ternos ad confessionem, communionem,
...pietatem adducunt, cuius unicum exem-
...plum, ne longior sim, proponam. Erat vir
...dam atate iam confecta, qui una cum la-
...tricis (ut aiunt) haresim suxerat, ad
...conuertendum puer, qui in eius domo
...satur, sapius est aggressus: sed erroris
...tunitate corroboratum animum non
...flexit: nec tamen desperatione fractus ab
...cepto destitit. Die quadam vehe-
...mentius & diutius cum decrepito sene dis-
...ceptat: tum senex, iam annos quinquaginta
...anc fidem tenui, eam ne iam demum com-
...ut abo vitam honestiorem ea, qua Papişti-
...uestri sacerdotes utuntur? Cur quorum
...tam detestor, eorum legem amplectar? ita
...senex à puero discessit, sed media hora
...st diuina sine dubio vi aliqua concitatus,
...us lacrymis perfusus ad puerum accedit,
...Catholicam fidem sua perfidia multò ve-
...rem videri ait, hanc igitur nunc com-
...Ss 3 plecti

plecti sibi constitutum esse: gaudet puer
 gratulatur, sed quo fidei iam suscepta ei lu-
 men utilius accederet, peccata ut fateatur,
 monet, quod dum studiosè senex comparat,
 quin etiam ad sacram mēsam cogitat,
 & ipsa vetula viri sui cōmutationem appi-
 cians eum ne sine se errores abiiciat, rogat:
 quæ errorum socia fuisset, vera quoque fidei
 sociam se esse velle. Referebat postea senex
 ubi cælesti cibo in nostro templo acceptus
 fuisset, unū sibi semper in predicantiū ser-
 rum, ut vocant, concionibus vehementer dis-
 splicuisse: quòd tantis conuitiis Angelicam
 salutationem insectarentur, cum ipsa ratio
 quodāmodo clamaret, eius filij à quo tanta
 commoda caperemus, matrem quoque ho-
 norādam: vix itaq; illorum vociferationi-
 bus induci unquam potuisse, ne oratione
 Dominica Angelicā quoque orationē sub-
 iungeret, contra verò placuisse sibi sepe li-
 bellos, quos catholici plenissimos pietatis,
 & honorū exemplorū copia refertos edidit-
 sent, huiusmodi enim libellos frequenter et
 puer ille, vel à prandio, vel à cæna legere
 solebat, tanto verò hunc puerum postea
 amore complectebatur: ut quoniam illi mo-
 do gratiarum aliquid referre posset, pluri-

ma laboraret. Hactenus epistola illa no-
strorum, qua perlecta nemo ad hanc
puerilem institutionem non reddetur
alacrior. Et quidem de terris Aquiloni
subiectis illa dixisse, & attigisse sit satis,
nam tibi acuto homini ex vngue
leonem cognoscere non est difficile:
quid India solis obeuntis? nonne per
pueros honestis moribus institutos
Christianorum sacra complectitur:
vniuscusq; & veri Dei religione suscepta
simulacrorum superstitionem, &
inanem cultum derelinquit? nam quo-
ties de Indis regni illius, quod Peru di-
cimus, religiosi homines quaerunt,
vt antequam moribus pristinis, ebriosis,
superstitiosisq; sint, veterem perpotan-
di, & falsos deos colendi consuetudi-
nem, vsuq; retineant, ita respondet:
Ista flagitiosa, impura, nefaria, quae
admittere solebamus, neque iam Dei
beneficio singulari facimus, neque si
velimus ad ingenium redire, per liberos
nostros viuere ita licebit, qui vestra-
rum praecipionum memores nostri se-
dulos se correctores praebent. Quid desi-

derandum est amplius: res ipsa vel nobis tacentibus loquitur, vna omnium gentium curandarum ratio est, quae de Peru, deque Germania diximus, eadem de caeteris mundi partibus dicere possumus. Noue enim Hispaniae lux noua, Indiae solis Orietis innumera- biles illi baptismi, Sinarum fausta in Christiana religione principia, Bra- siliensium salus, Galliae pax, (vt ad Europam redeamus) Britanniae subsi- dia, Sarmatiae, Paenoniaeque remedia, montis Libani (vt ex Europa migre- mus in Asiam) antiquus ille decor re- florescens, excursions in Affricam, orbis denique totius peregrinationes hominum salutis causa susceptae ex his ortu principis huc referuntur. Socie- tas enim idcirco suos filios instituit, vt ipsi instituunt, & erudiant alienos. Iam illa Iaponiorum messis copiosissima, a quo alio ducta principio est? Pueri tra- ctabiles ac teneri nostris hoibus faci- le crediderunt vera nunciantibus: pueri pueros, quod non erat diffi- cile, commouerunt: pueri, senes, quod est

est mirabile, ad Christi IESV fidem ad-
duxerunt, Sebastianus regis Bungen-
sis filius seruire Christo maluit, quàm
Bonziis imperare, quibus pater illum
præficere cupiebat, qui pater Christi-
anus iam est, & Christianæ religionis, à
cuius patrocinio ne gentilis quidem
abhorruit, defensor acerrimus. Simo-
nis constantiæ, quæ afferri par potest
oratio? cuius prædiuitis, & maximè
nobilis paternis, nec minis, nec pro-
missis frangi animus potuit, cùm ad
eum labefactandum malus dæmon
omnes machinas admouisset. Nobu-
rangæ Iaponiorum regum poten-
tissimi quidam ex filiis Christianum
se fieri postulauit. Neq; qui illum ge-
nerat à regno Dei, id est, ab Ecclesie
gremio Catholice longè abesse vide-
batur. Bonzios enim gentis illius sa-
cerdotes sanctitatis, qua carent, simu-
latores intus, & in cute nouerat, deorù
statuas passim deiiciebat, & deturba-
bat, nostros aditu, colloquioque non
prohibebat, sibi que placere Christia-
nos indiciis ostendebat, nec tacitis,

Ss 5 nec



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Huc Nobis
uangelium
diuina ſis
perculit ne
ſaria molli-
entem, &
ſibi diuinos
honores af-
ſumērem.*

nec occultis. Oſtiū, mi pater, apertum
eſt ingens, & maximū habet campum
rex Philippus, in quo eius pietas ex-
currat, religio triūphet, industria co-
gnoſcatur. Nam luētū, in quē ex Seba-
ſtiani Luſitanorū regis calamitoſo in-
teritu incidimus, regnorū hęc com-
munio cōſolatur: cōiunctis enim viri-
bus, Luſitaniaq; ad nos longo inter-
uallo reuoluta, erimus aduerſus fidei,
& religionis hoſtes firmiores, nec eſt
dubitandum, quin Philippus auorum
veſtigiis ingreſſus Chriſtianam ſilu-
cem in remotiſſimas, craſſiſq; erro-
rum tenebris obſcuratas, offuſaſque
nationes eò melioribus auſpiciis, quò
eſt ipſe potentior, illaturus. Conſum-
mabit, perficiet, abſoluet, quæ uidet
inchoata. Ultra Gangem, Oceanum,
& Caucaſum, quæ loca aut non
habitari, aut non eſſe, aut nō adiri poſ-
ſe credebat antiquitas, vera florere in-
cipit, & triumphare religio: Chriſtus
vnigēitus liberator, & vindex ab iis, q
turpiſſimi, immaniſſimi, ſuperſtitioſi-
ſimiq;

simiq; fuerant, honoratur, & colitur: vis ipsa educationis apparet, quantaque illorum fuerit sapientia, quam ardens animus quam mens excelsa cognoscitur, à quibus hæc inita primùm ratio est, & noua acquirendi, & vetera conseruandi: quæ enim Christiani antiqui ex hac educatione commoda, emolumenta que percipiunt, longum esset, ac difficile persequi. Primùm honestæ artes, quarum pax esse solet alumna, sublata hac institutione puerili, vel in summa pace correrent, bonos fortesque ciues respublica desideraret, quibus abundare ciuitates illæ solent, vbi parentibus non licet educationem negligere filiorum. Atque vtinam lata esset seuera lex, quæ ignominia patrem afficeret in instituendis liberis dissolutum, matrem infamia notaret filio turpiter indulgentem: næ si ita reges decreuissent, melius bonis & artibus & moribus cõsulissent. Vt enim medicina multò est præstantior, quæ valetudinẽ cõseruat, quàm quæ corpus morbo

morbo releuat, quæq; feбри obſiſtit ad-
 uētanti, quam quæ vulnus ſanat im-
 poſitum: ita leges, quæ improbitatem
 præcauēt, multò ſunt vtiliores, quàm
 quæ ſcelus admiſſum ſupplicio, & pœ-
 nis vlcifcūtur: talis illa lex eſſet, quæ
 ciuibus iuuetutis rectè educandæ ne-
 ceſſitatem imponeret: obſtaret illa
 flagitiis, non flagitia vindicaret, nec
 tam vulnus curaret acceptum, quàm
 rempublicam ab ictu, & vulnere pro-
 hiberet: qui enim filios aut optimè in-
 ſtituit, aut optimo inſtitutori cōmen-
 dat, quaſi furentes coërcet, & ligat, ne
 urbem dilacerēt, ſanguinemq; effun-
 dant non modo alienorum, ſed etiam
 propinquorum: qui verò adoleſcen-
 tiam ſine duce, rectoreq; eſſe patitur,
 & ipſe furit, & gladios porrigit furioſis.
 Agaue, vt eſt in fabulis, filium Pen-
 theum, quem demens, atque inſana
 aprū eſſe exiſtimabat, miſerrimè diſ-
 ceptum interemit: fingebant hæc vi-
 ri doctiſſimi non ſine cauſa, quæ enim
 mater filios effœminat genere vitæ
 molliſſimo, quæ cibo ſaginat, quæ ve-
 ſte

ste corrumpit, quæ in ocio languere
finit, Agaue dementior est, cui liberi
ipsi porci videntur, id quod pastus ip-
se significat, quæ dum filios ita nutrit,
seuissimè dilaniatos contrucidat. Cui
malo, vt aliqua ex parte mederi Igna-
tius posset, à suis filiis alienos liberos
voluit educari. Neque illum, vt hæc
ardua, ponderosa, molesta susciperet,
suorumque humeris imponeret, scri-
pta lex impulit, quæ nec erat, nec si ef-
fret, ad illum pertinebat: sed charitatis
lex sola permouit, ad quam cum diui-
nis colloquiis non modò doctus, sed
etiam factus, imbutusque esset, non
difficultatis, sed priuatæ, publicæque
utilitatis habendam esse censuit ra-
tionem. Cùm in gymnasium, cuius
mihi commissà cura erat, ab hinc an-
nis quatuor, & viginti, vir quidam in-
troisset, gratulans magistris ita loquu-
tus est: Quam multos, Deus bone, offi-
ciosus iste labor, istaque charitas furca
liberat, & ab eo supplicio eripit,
quod rarò illi effugiunt, qui nil agere
in pueritia, nilq. sapere didicerunt! nihil
aliud

aliud habuit in pröptu bonus ille hō-
 ſpes, de quo nobis applauderet, neq;
 ſi alia deſſent, fructus hic eſſet exigu-
 us carceris aut vacui, aut non ita re-
 dundantis, inanis patibuli, carnificis
 ocioſi. Nam ſi adoleſcentes in his ſtu-
 diis occupantur, multo minus nego-
 cij reipublicæ moderatores in citi-
 bus regendis, & continendis habe-
 büt: qualia enim principia ſunt, tales
 eſſe fines, atque exitus experimur: fru-
 ctus verò omnium vberimus, & ma-
 ximus ille eſt vitę innocenter actę, ani-
 miq; vel nil mortiferum commit-
 tentis, vel timidius peccantis, & par-
 cius: hic ille tuus mihi puer occurrit
 dignus, quem vterq; noſtrum com-
 muniter amet, nam cum de illo qua-
 ſuiſſes: quantum vtilitatis hæc ei
 attuliſſet Societatis diſciplina, ſic re-
 ſpondit: ego pater, vt alia omittam ſe-
 cretiora, illud vnum quod eſt ante
 oculos poſitum, non tacebo: quem
 enim fugit me, niſi huc veniſſe, & me
 vobis in diſciplinam dediſſem, nun-
 quam non iuraturum fuiſſe, & milles
 quotidie

quotidie aut falsis, aut dubiis rebus iurando confirmadis grauissimè peccaturum. Ex hac vna vtilitate reliquas pater, præceptorq; cognosce, quas infinitū esset numerare, diuinū nosse, & videre. Opuerum immortalitate dignū! illa enim vidit, quæ qui animaduertunt, verè sapiūt, à vulgoq; dissentiūt: periuria enim, quæ iurandi temeritas, & consuetudo parit, nostris discipulis vitare facile est, iurare, execrari, imprecari, ac diris deuouere non solitis. Hoc etiam melior nostrorum discipulorū conditio est, quòd Christianæ legis præcepta, fidei mysteria, & catechismum ab illis ignorari non patimur, crebris eos confessionibus expiamus, sacerdoti culpas aperiendi rationem, modumque tradimus: vt sit imploranda diuina illa maiestas pro ipsorum captu docemus, Virgini & matri rosas illas, quæ & verno florent, & hyemali tempore offerre, rei sacræ adesse, deque sempiterna illa vita cogitare, & laborare condiscunt: quæ & maxima sunt &

& quaſitu non difficilia: nemo enim tam integra fama eſt, quin hæc vel habeat, vel certè guſtet à nobis: literas virtute duce arripere facile eſt, ne dū diſcere. qui eleganter ſcribant, qui perbelle dicant, qui vel à plebe digno notentur, non paucos numeramus: qui verò eloquentiam adipiſci non poteſt, quæ ſe ita longè à terra extulit, vt facile contingi non queat. Latini ſermonis intelligentia contentus, nec ſibi ipſe diſplicet, nec que ſunt ampla non obtinet. Eſt etiam noſtri laboris fructus ille non paruus, quòd quæ cum lacte nutricis virtus fugitur, & firmis hæret *nixa* radicibus, & transmitti ſolet ad poſteros. Nam vt Iosephus grauis ſcriptor affirmat, primus noſter parens Adamus Caini parricidio illo immaniſſimo cautiore factus filium illum tertium, quem ex Eua vxore ſuſceperat, diligenter educauit, nec malè locata opa eſt: euasit enim ſanctus & pius, virtutiſq; hæreditas ad nepotes agnatoſq; peruenit: qui enim à Setho Caini, Abelisq; fratre

*Lib. 1. de
antiq. Iud.
c. 2.*

fratre generis originem traxere, & virtutes summo studio coluerunt, & siderum scientiam inuenerunt: bellica vero laus, sine qua pax esse non potest (nam bellum idcirco gerimus, ut in pace viamus) praeclarae institutionis est tota. Itaque Israëlitico illi regi non tam Goliath proceritas, & immanis statura terrori fuit, quam armorum exercitatio à puero, veritusque est, ne in exercitatum, imbellemque Dauidem Palæstinus gigas vinceret, qui ab initio ætatis bellare didicisset: illeque Numanus apud Virgilium, ut Troianos, quibus cum decertabat, tardiores redderet, Rutulorum fortitudinem ab ipsis incunabulis, & à puerili educatione sic repetit.

(git? *Aeneid. 9.*

*Quis Deus Italiam, qua vos dementia adde-
Non hic Atrida, nec fandi fictor Ulysses:*

*Durum à stirpe genus, natos ad flumina
primum*

Deferimus, seuoq; gelu duramus & undis,

Venatu inuigilant pueri, sylvasq; fatigant,

Flectere ludus equos, & spicula tendere

sorru.

Ts

St

*At patiens operū paruoq̄, assueta iuuenis,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida
bello,*

*Omne autē ferro teritur, versaq̄, iuuenem
Terga fatigamus hasta, nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatq̄ vigorem,
Caniciem galea premimus, semperq̄ recēta
Cōnectare iuuat prędas, & viuere raptō.*

Ex his poëtæ clarissimi versibus quid pueritia bene instituta possit, intelligere facile est, reliquas enim vitæ partes quasi fundat & continet: nec enim frugalis esse adolescentia non potest quam pueritia est temperans antegressa, virilis ætas non dura, fortis, robusta, quæ adolescentiam pugnacem, & lacertosam consequatur: extrema verò pars vitæ qui fieri potest, vt dissonet atque dissentiat ita initio similis est exitus, primisq̄ vitæ rudimentis senilis virtus, dignitasq̄ respondet. Adolescentem enim iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Quamobrem eum cursum teneamus, quæ à nostro in Societate tirocinio ex obediētia suscepimus

mus: neque pueros relinquamus, etiam si nos vires nostræ reliquerint: pacis enim constituendæ hic est fons, & belli sapienter administrandi; literæ, religio, virtus, fortunæ, sanctitas, felicitas, florens ciuitatum status, secundæ res, & ad voluntatem fluentes non petuntur aliunde, quàm ex hoc seminario bonorum omnium: vitæ verò ianua cœlestis illis maximè patet, qui à prima ætate in viam virtutis ingressi, vel regredi nunquam voluerunt, vel post breuè declinatione (est enim bonæ consuetudinis tanta vis, vt neminem multo tempore ab illis artibus cessare sinat, in quibus se ab initio ætatis exercuit) eundem cursum repeterunt, & vsque ad extremum spiritum, quæ à magistris didicerant constantissimè seruaerunt. Si enim magnus ille Isocrates discipulos docere maluit, quàm rem publicam gubernare, iuuentutemq; ne in summa quidem senectute deseruit, multò iustius nos iuuentutis educationem aliis muneribus præferemus: cum præsertim in his

T t 2 illa

illa insint, in illis hæc nostra non sint: hæc tractantes illa quodam modo tractemus, in illis occupati iuvenes magnæ expectationis ex nostro sinu dimittamus, qui pro ingenij acie & indolis ac naturæ præstantia tales euadere potuissent, quales hæc tempora desiderant ærumnosa, misera, turbulenta. Sit ergo mea mihi Sparta curæ, ut tua tibi prouincia est, persuadeo enim mihi multos ex nostris auditoribus non vni familiæ, sed Ecclesiæ vniuersæ erudiri, non sibi solum institui, sed aliis etiam educari, non informari philosophos, qui sibi sapiant duntaxat, sed patriæ perfugium, portumque constitui: non eos versari nobiscum, qui neminem lædere satis putent, sed qui opitulari studeant, & prodesse quamplurimis, ut minimè mirandum sit Ruthardum monachum, illum inquam Ruthardum, qui sancti Bonificij martyrium heroico versu cecinit, gymnasium, in quo domesticos, & externos docebat, omnibus, & diuitiis, & honoribus prætulisse, episcopatuque

negle-

*Triche in
historia
monasterij
Hirsauget-
ensis.*

neglexisse, quem ei Ludouicus Imperator offerebat. Nulla enim rectio est, quæ cum fructus dulcedine comparatur, id quod arborum fructuosarum similitudo illa declarat, quæ ut est in libro Iudicum, regnare noluerunt. Hortum excolamus, in quo ficus est bis in anno fructifera, oliua inuenitur, à qua oleas, oleumque accipimus, quorum alteris vescimur, altero viuimus, vitis enascitur, è qua uua leguntur, sine quibus nec hominum conuiuia, nec diuini altaris sacrificia esse potuissent. Vale

DE LIBRORVM DELECTV
Epistola.

Cuidam viro primario rescripta.

Vetus querela ista est Terentij vel omitti, vel reiecti, tibi que communis doctissime ac nobilissime Alfonso cum multis, qui grauiter, & iniquo animo ferunt, ut pulchro hoc latinitatis authore iuentus careat. Primum nescire me fateor, quæ sit elegantia iactura Cicerone

Huius epistola mæcio facta est in fine lib. 1.

Tt 3 stante

ſtante metuenda. Nam illud mihi dabis neque volubilem orationem atque perpetuam, neque vberem plenamq; hiftoriam Terentiana lectione confici poſſe. Quotidianus (inquis) ſermo purus, ac dilucidus à Terentio totus exiſtit: falſò iſta, concifi enim ſermonis, ſubtilis, & preſſi ſic magiſter eſt Tullius, vt amplæ orationis, id eſt ſonantibus verbis, vberibusq; ſententiis abundantis. Ciceroniſque epiſtolæ & illæ, quas familiares dicimus, & quæ ſunt ad Atticum, in hunc finem à noſtris præceptoribus explicantur. Laudatur à Cicerone Terentius, quid tum poſtea? ab eodem Cicerone laudatur Ennius Poëta vt temporibus illis non inueniſtus, laudatur item Accius, Paccuius, Plautus, & Næuius, quos certè nemo deſiderat ſtante Virgilio, & Seneca permanente, quorum vtriuſq; dictio Ennij, Accij, Paccuij, & Næuij, luminibus obſtruxit, & offecit. Plurimi fuerunt ex antiquis, quibus Terentius tanti non erat. Nam Volcatius poſtremum locum inter
Comi-

Comicos tenere affirmat, vim ei & acrimoniam defuisse Iulius Cæsar aiebat, Varro furtiuas hominis esse comœdias suspicatur, ex nouis & recentibus Bartholomæus Ricius non inelegans scriptor de Terentio quàm infimè sentit: multi, quos nominare possem, Poëtam istum, flocci, teruntique non faciunt, neque de huius exilio loquendi princeps magnopere laborat Italia: grandiloquos autor iste non facit, ergo de eo in exilium pulso grandis grauisque esse querela non potest. Equidem iis assentior, qui eum esse elegantem asseuerant. Sunt enim multi flores in illo, qui, vt legi possint, purgandus aperiendusque, locus est partim, cœno oblitus, partim spinis & verpibus impeditus. Quàm multa in illo horrida, & vetusta, sic enim loquebantur antiqui, quàm multa poëticè dicta, nilque Latini sermonis puritatem iuuantia, quam querimus: quàm non pauca dictu fœda, immunda, pudenda, tetra! At

Tt 4 est

Lib. de imitatione.

est elegans: sed ego sermonis lepiditatem isto pretio non emam. Melle venena condiuit, quò libentiùs mortiferum poculum iuuentus hauriret. Itaque ignaram incallidamq; pueritiam deprauat, & perdit, moreq; improbissimi lenonis pudicitiam expugnat, virgineumq; florem tanquam subita tempestas, & turbo peruertit. Cùm enim in literarum studia ingressis, iste se liber ad intelligendum omnium primus ostendat, fit profectò vt in ipso limine offendant pueri, libidinosaq; sententias sugant cum ipso lacte nutricis. Nutrix enim Grammatica est, quam esse verecundam oportebat & cautam, nec impudenter garrere cum pueris, quibus vbera præbet & mammas. Itaque miror pudoris & pudicitiae præcepta curæ esse mulierculis, eadem à præceptoribus negligi, quæque domestici admonitores seuerè astringunt, ea dissolutos quosdam magistros cum extrema iuuentutis pernicie laxare. Siquidem puerorum animos non illa solùm effo-

minant

minant, quæ Terentius amatoria scripsit, sed illa etiam, quæ magistri partim incautè, partim leuiter addunt, & turpiter. Nihil enim quorundam explanationibus tetrius, quas tibi urbano quidem, verecundo tamen reprobari lætor & gaudeo. Etsi quodam loco tecum ipse pugnabas, qui amantem esse Virgilium in quarto illo, amantem vbiq; esse Terentium fatebaris, neutrum tamè tibi amentem videri, quod sanè constanter affirmari non potest. Est enim summa spurci amoris infamia, nemoque non amens amator impurus. Ergo Societas Horatium, Martialem, Iuuenalem purgat & Persium: quæ in Ouidio sunt vel obscœna, vel amatoria relinquit. Valerium Catullum nunquam attingit, quasdam Virgilij Eclogas, & Didonis amores tacet: similis est delectus in orationibus Tullianis. Cùm enim res venereas magnus ille orator exprobrat, exagitat, reprehendit, relinquitur intactus à nostris, ne non tam prohibere, quam admonere videantur. Idemque

T t s Tul-

Tullius, quod te non fugit, multis in locis poëtas inſectatur, vitæque eſſe emendatricem comœdiam negat, & vicem dolet puerorum, qui poëtas magnam ſapientiæ, doctrinæque ſpeciem præ ſe ferentes audire cogantur, & diſcere. Neque alia fuit cauſa cur à Cicerone filio Cicero pater Gorgiaz libros dimitti voluerit teſte Plutarcho, niſi quòd ad potum & voluptates adoleſcentem alliceret. Atque hoc fortasſe magiſtro didicit ſtrenuè bibere, qui mortuo patre binos congios ſimul ſolebat haurire. Quæ de voluptatibus Epicurus diſputauit, illa omnia Tullius cenſet tollenda eſſe de libro, qui erat de ſummo bono, vel totum librum potius abiiciendum. Huius Epicuri diſcipulos Alcæum, & Philiſcum, quòd multarum flagitioſarumque libidinum auctores eſſent adoleſcentibus, Romani ex vrbe eiecerunt, eadem cauſa Meſſenij non vnum aut alterum Epicuri diſcipulum, ſed Epicureos omnes expulerunt. Plato ex illa ciuitate, quam

in ſuis

In Vita Ciceronis.

Plin. lib. 24. natura, hiſtoria c. & ſ.

Tuſcul. queſt. lib. 3.

in ſuis ipſe libris ædificat, optimiſque
temperat inſtitutis, & legibus poëtaſ
relegauit. Verat etiam Ariſtoteles ne
turpe quicquam vel legant, vel audi-
ant pueri, neuè iamborum, & comœ-
diarum ant dicacitatem diſcant, aut
venere capiantur. Si enim adole-
ſcentia ipſa per ſe tam eſt ad vitia
procliuis, atque propenſa, vt nulla
ſatis firma eſſe cuſtodia videatur.
cum primum poëtæ acceſſerint quos
non virtutis neruos incident? quam
non conſtantiam labefactabunt? Sic
ſua ſatis flamma puerulis, pellanturq;
libri illi qui perennes ſunt libidiniſ
ſuaſores. Si nemo impellat, feruntur
in vitia præcipites, ſi libri omnes cõpli-
centur, vtuntur tamen atq; ardent, ſi
pædagogus ſeuerus ſit, ſolicitus, cau-
tus, vigilans, delicias, & corporiſ
accuſabiles voluptates nihilominus
concupiſcunt. Quid igitur incen-
dio ligna addimus? & turpium inter-
pretatione poëtarum ignem quaſi
ſtabello ventilamus? Noſtrum eſt, in-
quis, cauere ne quid laſciuè dicatur à
pueris

*Ælianor.
lib 9. de Va-
ria hiſtoria.*

pueris, ne uè scriptoris dicta ad vitium
 refecentur. Fuerit satis quædam teti-
 gisse, alia inuoluisse; nõ nulla tacuisse.
 Scopulos magne Alfonse vitare posse-
 mus alibi, inque promontoriis qui-
 busdã flectendis quid nostra possit
 industria, tentaremus. Sed Terentia-
 num mare totum est scopulosum, in-
 festum, perturbatum: in eo Sirenes, &
 monstra. Semel aut iterum si liber
 iste peccasset, facilis curatio esset, nũc
 in tanta amorum licentia medicina
 locus est nullus. Totus est enim liber
 impurus, nullaque ferè pars est non
 infecta labe: ut q̄ verbũ verbo sit red-
 diturus Latino vernaculum, aut per-
 fricanda ei frons sit, aut vbique menti-
 endum. Vtrumque turpe, & religio-
 sis magistris indecorum, quibus esse
 charissima veritas debet, & pudor sa-
 cro sanctus. Quare nil affers, cur Te-
 rentium, ut est, sic enarrare pueris de-
 beamus. Nam quod ais, à paruulis
 pueris amores attendi non solere, ve-
 hementer erras. Nil enim in hoc ge-
 nere discipulis esse potest obscurum,
 nostra-

nostra
 nullo
 cat, ni
 que p
 que ip
 ritas e
 tium
 affixa
 foetus
 igitur
 nostra
 sic en
 narra
 noris
 illat
 us o
 bia,
 tam f
 nis &
 pia, d
 nom
 hone
 magi
 dente
 stulin
 & au

nostraque nobis deprauata natura, nullo hæc doctore tradit, atque indicat, nilq; tam esse opertum, velatumque potest, quin pueri intelligant, atque ipsis vestigiis odorentur. Impunitas enim non modo hæret in lactentium puerorum & puellarum cunas affixa, sed etiam in matrum aluos, ubi foetus ipsi coalescunt, penetrauit. Cur igitur non omnia præcauemus? cur nostrum Martiale mordere sinimus? (sic enim nobiscum agis) cur cædes narramus & iurgia? Alia Alfonse facinoris, alia libidinis ratio est: sensus titillat liber obscœnus, mordax, & sæuus offendit aures & animum. Superbia, auaritia, gulæ, inuidentiæ non tam facilis contagio est, quàm libidinis & amorum. Adde quædam re turpia, dici tamen honestè posse, & suis nominibus appellari, alia vicissim re honesta iure & merito à verecundo magistro præteriri. Itaque Martialidantes reliquimus, obscœnitates abstulimus, vt & pudori consuleremus, & auditorum vel honestæ, vel certè
non

non improbandæ vel voluptati, vel curiositati seruiremus. At præcipio multa Terentius sapienter, serius interdum admonitor est, humanæque vitæ simulacrum ponit ante oculos, sed ita cum amoribus cohærent, implicitaque sunt omnia, ut vix illa pueri, vix adolescentes internoſcant, vix alterum sine altero ſumant. Ut mihi quæ ex Terentio ſumi remedia poſſunt, periculis ipsis prope paria videantur. Hæc enim ætas, ut bene Lactantius, prius irretiri, & in laqueos poteſt cadere, quàm cauere. Quotumquemque reperias, qui Davui ſimiles fugiat? qui Gnathones vitet? & eas fœminas, quas adumbrat Thais, præmonitus à Terentio repellat? Fore prædixit Eſaias: ut Emmanuel butyrum, & mel comederet, bonum eligeret, malum reprobareret. Sed noſtri pueri matrem Euam, non puerum IESVM imitantur, quam pomi ſpecies ipſa decepit, nam carminum ſuauitate allekti, & poetarum cantu delinuti mortiferas amant

voluptates,

*Lib. de fal-
ſa relig.
c. 20.*

voluptates. Quamobrem Terentium plenum, atque integrum à nobis exigere desine, quem omnino interpretari, neque nobis decorum, est, neque nostris discipulis salutare. Domus enim ista, quam venditas ruinosa est, ut ille dixit, male materiata, pestilens, insalubris, cuius in omnibus ferè cubiculis serpentes apparent, qui pueris interitum inhalabunt, quòd eorum sit morsus venenatus & pestifer. Ut enim ille apud eundem istum Terentium Cherea, ad inferendum virgini stuprum, est factus audacior tabulam iutuens, in qua inerat pictura hæc, Iouem quo pacto Danaæ misisse aiunt, quondam in gremium imbrem aureum: ita Terentij versus innumerabiles pueros, adolescentes, viros ad libidinem incitauerunt, molliculisq; iuuenibus facè prætulerunt, quæ enim pictura impudētior, quã poësis Terentiana: quæ tabula turpior, quã eiusdem Eunuchus: quæ flamme perniciosiores, quã huius comici fabule: quæ profectò
causa

Lib. conf. 1.
cap. 16.

cauſa diuum Auguſtinum impulit, ve
Terentij lenocinia damnaret, cuius
verba ſubiiciam. Et tamen o ſtumentur-
tareum! iactantur in te filij hominum cum
mercedibus, vt hæc diſcant, & magna res
agitur, cum hoc agitur publice in foro, in
conſpectu legum ſuper mercedem ſalaria de-
cernentium: & ſaxa tua percutis, & ſona
dicens, hinc verba diſcuntur, hinc acquiritur
eloquentia rebus perſuadendis, ſenten-
tiſq; explicandis maximè neceſſaria. Ita
verò non cognosceremus verba hæc imbre
aureum, & gremium, & fucum, & temple
cæli, & alia verba, quæ in eo loco ſcripta
ſunt, niſi Terentius induceret nequam ad-
leſcentem proponētem ſibi Iouem ad exem-
plum ſupri, dum ſpectat tabulam quandam
pictam in pariete. Et paulò inferius. Et
vide quemadmodum ſe cõcitat ad libidinem
quæſi cæleſti magiſterio, at quem Deum, in-
quit, qui temple cæli ſumma ſonitu cõcutit:
Ego homuncio id nõ facerem? ego verò illud
ſponte feci ac libens, non omnino per hæc
turpitudinem verba iſta commodiùs diſcun-
tur, ſed per hæc verba turpitudò iſta confi-
dentiùs perpetratur: non accuſo verba quæſi

vasa electa atque pretiosa, sed vinum erroris, quod in eis nobis propinabatur ab ebriis doctoribus, & nisi biberemus, cadebamus, nec appellare ad aliquem iudicem sobrium licebat. Hæc Augustinus: quid summus ille Ecclesiæ & doctor & Papa Gregorius: nonne Desiderium episcopum grauissime & seuerissime increpat, quod grammaticæ magister fabulas doceret, & nugas poëtarum? Quam graue (inquit) episcopis canere & nefarium sit, quod nec laico religioso conueniat, ipse considera. Qui poëtarum commenta non illa quidem obscœna, sed falsa & inania tam acriter reprehendit, de amoribus tacuisset? Ergo Societas huiusmodi fabulas sine discipulorum fructu narrare non solet, semperque aliquid altum spectat in illis, quæ verò sunt amatoria, quæ impudica, quæ turpia reticeret, nilque ex impuris narrationibus morale decerpit: sed eas omnino præmittit. Neque enim colligunt ex spinis vuas, nosti reliqua. Terentiana materia tibi homini Christiano non placet, artem tamen prædicas, facien-

Vu daq;

Ex Registro
lib. 9. ca. 48

Mat. 7. 6.

daeque comœdiæ Terentij normam
 rectissimam esse arbitraris: hui, tam
 cito scribenda comœdia est? non ita in-
 geniosi ac celeres pueri sunt Hispani
 præsertim, ut aliquid pangant Plauti-
 num, & falsum, aliquid Terentio, id est
 Latino Menandro dignum mediten-
 tur. Scriptio comœdiæ viri est maturi,
 grauis, exercitati, & cui per me Teren-
 tium adire liceat. Ut enim quondam
 Salomonis Canticum ante annum
 ætatis trigesimum Hebræi non lege-
 bant, ne ætas simplex, & parum pro-
 uida, ad malumque propensa sermo-
 nis in speciem amatorii grauisima,
 & diuinissima sensa non premens hæ-
 reret in literæ, que, Apostolo teste, oc-
 cidit, mortiferaque est: ita scriptores
 illi, quorum utilitas facile apparere
 non solet, temerè attingi non debent,
 neque passim explicari. Equidem non
 tantum Terentij argumenta vitupe-
 ro, sed etiam cum Fabio Quintiliano
 quedam in ipsa arte desidero. Sæpe
 enim diffluit, serpitque longius tam-
 quam vitis erratica, quàm necesse sit fer-
 ro, &

*2. Ad Co-
 rint. 3. cap.*

Lib. 10. c. 1.

ro, & falce coërcere. Itaque Quintilianus plus gratiæ habiturum fuisse dicit, si intra Trimetros constitisset: censetq; Latinos, in comoedia claudicare, quòd nullus extet scriptor antiquus omnibus numeris absolutus: & præ Græca lepiditate vix leuem umbram hanc esse Romanorum. Ego nisi magnus hic Rhetor obsisteret, tibi artem laudant vel assentirer, vel certè concederem, solaque argumenti, & materiæ vituperatione contentus essem: sed Quintiliani iudicio quis anteponat suum? Societatis & prudentiam, & humanitatem requirere te dicis, quæ temporì cedere non vult, & eorum preces repudiat, qui Terentium efflagitant, quibus si morè gerere Societas vellet, noster in instituenda iuventute labor possèt sine exceptione laudari. Agam tecum mansuete, tuæque orationis iracundiam non ulciscar. Manda hęc memoriæ quædicam, neque vulgi more temere & impetu quodam de rebus statue quid sentias. Non enim sine causa

V u 2 . ab Igna-

ab Ignatio nostro lata lex est de Terentio relegando, potius quàm relegendo. Omnes illos scriptores quorum aut doctrina suspecta est, aut sermo lasciuus, à suis gymnasiis Societas nostra depellit, ne labè pudicitia contrahat, ne religio polluat. Quo circa Erasmo, & Terentio locus esse non potest, quorum alter in fide parum videtur esse syncerus, alter castitatis est hostis eò perniciosior, quò plures habet amatores. Scrupulum hunc esse dictitas, & timorem minimè necessarium, insolensque fastidium: nostram docendi rationem singularem appellas præcipuam, arrogantem, à via publica deflectentem: simulque sanctorum patrum Augustini & Gregorij testimonia, quæ iam protulimus, & leges sacras, quas iã testabor, nescire te & ignorare demonstras, quas mater Ecclesia sanciuit: quæ etsi nullæ vnquam fuissent, tamen quid ipsa natura pudoris inprimis amans atque appetens velit & poscat, animaduertere debuisses. Lacedæmonij poëtam Archilochum

chum elegantē illum quidem & acutum, maledicum tamen ē ciuitate, & vrbis manibus expulerunt, neque ſolū pudori, ſed honori etiam fameque aliorum conſulendum eſſe cenſerūt. Mitto quam plurimas ciuitates, atque rei publicas, in quibus diligenter curatum eſt, ne pueris quicquam veniret in mentem, quod pudorem viciaret. Quæ priſci illi ſalutariter conſtituebant natura duce, nullo ex Apoſtoliſ, & Chriſti præconibus admonente. Sed Eccleſia, quam iuſtitia ſol ille cæleſtis illuminat, de librorum delectu multa grauiſſimè, ſanctiſſimeque conſtituit: vnum eligam ex multis Lateranenſis Concilij decretum libros ex ſcholis exterminans, qui moribus aliqua ex parte nocere poſſe videantur, cui ſanè concilio academiæ rectorum non obtemperant, quicunque laſciuos poëtas in gramaticorum exedris conſiſtere patiuntur. Cum magiſter Ioannes Auila, cuius libri non modo leguntur; ſed etiam ab optimis quibuſque ad verbum ediscuntur, in

*Concilium
Lateranē-
ſe ſc. ſub.
Leone X.
ſeſſio. 9.
Diuus eti-
am Iſidorus
lib. 3. de ſen-
tentis, ſive
de ſūmo bo-
no. c. 13. &
habetur. c.
ideo. 37. di-
ſtinct. &
quoddam*

V u 3 qua-

*provinciale
Trenirōse,
cuius mirū
est decre-
tum de hac
re.*

*Nicēphor.
Eccles. hist.
lib. 12. ca.
34.*

quadam vrbe ad moderatores publi-
ci gymnasij verba faceret, poetarum-
que turpium enarrationem grauissi-
mis verbis insectaretur, Lateranense
hoc Conciliū testatus est, vt maiorem
autoritatem haberet oratio: quo audi-
to, qui studiis præerant, vehementer
obstupuerunt, concilij enim decre-
tum illud penitus ignorabant. Ve-
tus etiam Ecclesia Græcorum in qua-
dam provinciali synodo Heliodoro
Triensi episcopo optionem dedit, vt
vel amatorios quosdā libros, quos ado-
lescens scripserat, igni combure-
ret, vel episcopatū relinqueret, sed cū
Heliodorus poematis sui iacturā face-
re nollet, priuatus pontificatu est, &
notatus infamia. Stultus sanè Helio-
dorus, & Græculus, cuius valde dis-
similis Syluius Æneas fuit, ille in quā
Syluius, qui summus electus Pontifex
Pium se secundū voluit appellari. Hic
sensu ætateque adolescens librum de
amore scripserat, qui cum ei excidisset
è manibus, legebatur tamen ab ho-
minibus multò libentiùs & studio-
sius,

fuis, quàm illa, quæ vir & sapiens cùm
 multa tũ præclara conscripserat, & in
 aspectum lucemque protulerat: cui
 malo vt aliqua ex parte mederetur,
 panitentis animi, & dolore tabescen-
 tis clara dedit indicia, & cãtate palino-
 dię signa perspicua patefecit: his enim
 verbis homines ab amatorij opus-
 culi lectione deterret. *Seni (inquit)*
magis quam iuueni credite, nec priuatũ ho-
minem pluris quàm Pontificẽ facite, Aene-
am reiicite, Pium approbate. Neque verò
 hæc talem ac tantũ pontificem fecif-
 se mirandum est, quando illi versus
 Horatio dolori sunt, quibus luserat in *Lib. 1. ep. 1.*
 ætate florescente, vinaq; & venerem
 decantarat, ergo commutatavolunta-
 te in epistolis philophũ agit grauem &
 serium, eaq; se profiteretur esse scriptu-
 rum, quæ depromere possit, & diuul-
 gare. Imperator Adrianus Voconij
 Hispani poëtæ, quem viuum vnice
 amauerat, mortui sepulchro epi-
 taphium inscripsit, quo vt affirmat
 Apuleius, delere maculam con-
 tendit, quæ Voconio inhæserat ex
 Vu 4 quo-

*x. Oratione
Apologia.*

*Lascivus
Versu, men
te pudicus
eras, dixit
Adrianus
poeta non
malus, qua
tamē fusti-
lis excusa-
tio est.*

quorundam versuum scriptione lasciviorum. Adeò turpe est literis impudica mandare. Ex his Alfonso fontibus lex illa manavit, & fluxit nostri patris Ignatij, cuius vi exulat Terentius, lascivique versus procul à nostris scholis amandantur. Habita etiã magistrorum ratio est, quos religiosos & sacros minimè decebat immunda tractare. Nam si monachis ius civile dicentibus in publico gymnasio sacris interdici solet, estque Apostolicæ sedis edictũ vehemens & gravè hac ipsa dere, quòd in religiosos viros literè ille minimè convenire videantur, institutique sanctitas profanam respuat disciplinam: quo supplicio multandos censebimus religiosos præceptores, qui Terentij nugas, qui Ovidianos amores, qui Catulli sordes, qui Martialis teterrimas obscœnitates explanant, & eorum mores corrumpunt, quos corrigere, & conformare deberent: quamobrem putere tibi Terentius incipiat, quo more à mercenariis præceptoribus exponi consuevit. Nam

Socie-

Societatis patres tantum abest, ut quae sunt in Terentio pulchra caelent discipulos, ut ea ipsi ultro & sponte dicent, utenda, usurpanda, imitanda proponant. Discunt, mihi crede, qui in nostras scholas ventitant sine Terentio Terentium, nilque impurum hauriunt, sed liquida omnia, expressa, & munda potant ac bibunt. Terentium nemo alius accusat, auertit, horret, nisi qui noster sit, vide quid dicas homo erudite, sunt enim multi, quos possem nominare, sed vno ero contentus. Martinus enim ille Aspilicuenta Nauarrus vir summus eiiciendum est scholis hunc censet, cuius te mouere debet autoritas. Ergo clarissime Alfonso patere nostros doctores esse verecundos, cum praesertim damni nil literae Latinae faciant Terentio vel praetermissio, vel certè circunciso. Et quia autoritate vales, persuade magnis istis hominibus, quorum ad nos querelas detulisti, nil tam iuuentuti prodesse, quàm quod facimus: nil tam est republica Christiana esse, nil tam cum

V u s san-

*In Enchirid.
dio, siue
Manuali
confessario.
c. 23. nu. 30.
§ in cap.
Quando de
consecrati.
dist. 1. n. 19.*

sanctorum patrum sensu, Ecclesiasticisq; sanctionibus congruere, quam vt libri purgentur, qui purgari possunt, penitus abiiciantur, qui esse videntur insanabiles. Optat Societas vt religio, sanctitas, pudor, pudicitia in ciuitatibus permaneant, quod consiliū æquè placere principibus debet, ac nostris hominibus. Nam si alij ædificant, alij labefactāt, res publica laborabit, & graue vulnus accipiet, fitq; perturbatio illius non dissimilis, quæ orta ex confusione linguarū hominū mentes animosq; distraxit. Vale, & eloquia Domini eloquia esse casta, considera.

*Genes. c. 11.**Psal. 11.*

DE LITERATA VIRTUTE
Epistola.

Ad gymnasia Societatis.

DVO sunt, quæ beatas, & florentes ciuitates efficiunt, virtus & sapientia, cuius vtriusque ad piscendæ occasio si vnquam adolescentibus fuit, hoc profectò tempore eam vos occasionem habetis, vt & pectus eruditione complere, & animum

mū virtutis p̄ceptis possitis imbuere. Nil enim aliud ista sibi gymnasia gratuita volunt, in quæ quotidie ventitatis, vbi religiosorum magistrorum vocibus, oratione, monitis, p̄ceptis, de que re & literaria, & Christiana mirabilibus documentis vestraures singulis penè horis solent personare. Nam institutio adolescentiæ, quæ literas cum honestate coniungit, longè omnium præstantissima censetur atq; optima. Mentem enim illuminat, & voluntatē inflammat, inq; cælum dux est, quam qui sequentur, nunquam aberrabunt. Stylphonem Megaricum & ebriosum, & mulierosum fuisse natura grauisissimi scriptores memoriæ tradiderunt: se tamē ita edomuit, compressitq; doctrina, vt nemo vnquam vino captum illum aspexerit, nemo libidinis in eo vestigium animaduernerit. Ex quo intelligitur quantum ad honestā, predicabilemque viuendi rationem afferat egregia disciplina momenti: quæ virum, Christianæ tū veritatis, tum puritatis

Cice. lib. de Fato.

tatis ignarum, & ad vicia illa propensum, quæ sua tam multos dulcedine alliciunt, & scabie titillant, sobrium & continentem perpetuò conseruauit. Non est dissimile, quod de Socrate legimus, quem cum Zopyrus Physiognomon, qui se profitebatur mores, naturasque hominum ex oculorum frontis, corporisque; totius animaduersione, notationeque; perdiscere, stupidum sibi videri, bardumque; dixisset, mulierosumque etiam addidisset, in hoc ultimo Alcibiades cachinnum sustulit, & hominis iudicium, artemque derisit, qui illa in Socratem vicia colligeret, quæ nemo agnosceret: sed Zopyrum Socrates ipse subleuauit, cum illa sibi inesse, sed ratione à se deiecta ac depulsa fateretur. Etenim proxime & secundum caelestem illum medicum verè salutis effectorem in voluntate, studio, industria, ac disciplina positum est, vt vicia tollantur funditus quæ nostri constitutio corporis ferat, profeminetque natura, tamque ablit adolescens à turpitudine, vt quemadmodum

*Ibidem.**2. Tuscul.*

modum in Socrate illo, quem suspexit antiquitas, vel ipsa rideatur, exhibeturque suspicio. Nam cum duæ sint peccandi causæ, & quasi radices error, & voluptas, quorum alter in mente est, altera involuntate, vtrunque extirpat, euellitque doctrina. Ignorantia, & animi stupore ne in flagitia prolambamur, literæ prouident, quæ mentis nebulas scelerum faatrices veritatis luce dispellunt. Mens enim studiis alitur, & ut bene quidam:

Ingenio mores conuenienter eunt.

Quò autem minus corporis blandimentis atque lenociniis deliniri se, & corrumpi animus sinat, illa impedit voluptas, quam literæ synceram ac liquidam parere solent. Itaque cum libris pernoctamus, & scientiæ suauitate ac dulcitudine allecti, atque inuitati nec dapes, nec ludos, nec oblectamenta illa requirimus, quibus ut frui possimus, aut literarum studia relinquenda sunt, aut virtus deserenda. Tanta enim ex rerum cognitione voluptas existit, ut ab illis, qui ea perfruuntur,

tur, neq; tædiū, neq; vigiliæ, neq; labor., neq; acerbitas vlla ſentiat, Quid autem delectatio delectationi præſtet, illud argumento eſt, quòd cæterarum voluptatum, etiam qui eis plurimum tribuunt, ſatiætatem quandam eſſe conſententur.: huius tamen, quam literę gignunt, vt quiſq; p̄cepit, hauſitq; plurimū, ita eā auidiſſimè cōcupiſcit. Exemplo eſſe Chryſippus poteſt, q̄ literas ita amabat vehemēter, vt legentem illum cibi, potioniſq; obliuio caperet. Quoties C. Gallum lux noctu aliquid deſcribere ingreſſum, quoties nox oppreſſit cum coepiſſet manè! Quàm delectabatur cum defectiones ſolis & lunæ multo ante prædiceret! Et hic quidem, vt ait Tullius, mori videbatur in ſtudio dimittendi cæli atque terræ: ſed Archimedes in eodem mortuus ſtudio eſt: ita enim deſcriptiones, lineas, diſtentioneſq; dilexit, vt à puluere & radio nec eum felicitas abſtraxerit, nec calamitas, cuiuſeſſe vis maior ſolet, auocarit, nec extrema perniciæ auerterit.

Cic. lib. de ſenectute.

Plutar. in Vita Mar- cel li.

Omon-

O monstrū, prodigiūq; naturæ! Arde-
bant oīa, vrbs florētissima, opulētissi-
maq; totius Græciæ diripiebatur, vi-
ctoris gladius sequebatur, audacia impu-
nè volitabat, ciues vulgo necabantur,
omnia clamoribus, & lamentis perso-
nabant: & tamen in studia intētus, atq;
infixus Archimedes, quid ageretur, &
quod ei periculū immineret, nesciebat:
& cū oculi augeant dolorem, nec
auertere à miseris cogitationem si-
nāt: tamen ita Archimedes hærebat in
lineis, vt prius gladiū corpore recepif-
se dicatur, quàm vrbs ruinam, vasti-
tatemq; sensisse. Vt minime mirandū
sit poëtas, qui ceteros deos Veneris
imperio subdidissent, in Mineruā ta-
men, & studiorum præsides Musas nil
Veneri nil eius filio Cupidini iuris ef-
se finxisse. Quis enim fœminas vnquā
tam perditè amauit, quam literas ar-
denter Archimedes? in tam occupata,
arreptaque mente quis esse libidinis
sensus posset? Quare illud eorun-
dem poëtarum commentum rideri
non

non debet, qui Iasonem, & cæteros Argonautas in eam insulam delatos, quam Sirenes incolerent, Orphei lyra perniciosum earundem Sirenum cantum, tanquam clauum clauo pepulisse fictis fabulis prodiderunt. Nam qui toto, vt aiunt, pectore literas amant, præ illa dulcedine, quæ ex ipsarum quasi concentu existit, Sirenum, id est viciosarum voluptatum suauitatem, & cantum paruipendunt. Quæ sunt enim (vt sapienter apud Ciceronem Cato disputat) epularum, aut ludorum, aut scortorum voluptates cum studiorum voluptatibus comparandæ? Est enim solertiæ oblectatio suauissimus pastus animorum. Veniat vobis in mentem Augustinus, veniat Ambrosius, veniat vterque Gregorius, veniat Hieronymus, & reliqui sancti doctores: quæ regna, quas opes eorum studiis, & delectationibus antepone-
 tis? neque solum illa grauissima, & maxima mentem infatiabili gaudio complent, sed ista etiam vestra leuio-
 ra & minora delectant. Vt enim disse-
 rendi

tendi artem præteream, quæ iis eſſe
iucundiſſima ſolet, quos natura diſpu-
tatores finxit acerrimos, vt nil de phi-
loſophia dicã, quæ ſuis illecebris tam
multos, tamque præclaros amatores
excitauit, vt de medicina taceam, cu-
ius non modò curatio ſalutifera eſt,
ſed etiam dulcis, & iucunda cognitio,
vt iuris ſcientiam prætermittam, qua
nil aut fructu lætius, aut aſpectu pul-
chrius videri multis ſolet, vt diuinam
Theologiam ſileri patiar, cui qui ſtu-
det, ſi & eximio ingenio eſt, & diligen-
tiam adhibet (tardis enim mentibus
hæc ſcientiarũ regina non facilè com-
mittitur) incredibili gaudio afficiatur,
oportet: ſed vt hæc ampla miſſa facia-
mus, quàm veſter dulcis Virgilius eſt!
quàm Tullij oratio ſuauiſ, quàm nu-
merofa, quàm plena! diſputant libri
iſti multa de moribus, loquuntur mira
de cœlo, de rerum naturis inaudita
pertractant. Quid ego Senecæ tra-
gædias, quid Cæſaris, Liuij, Saluſtij,
Curtijque historias, quid Horatij can-
tilenas proferam? quibus ipſa fit pueri-

lis doctrina iucundior. Quo igitur gaudio exultare vos neceſſe eſt iſtis quotidie audiendis, commemorandis, repetendis? Neque hic ſolus ex literarum ſtudiis voluptatis eſt fructus, & occupationis egregiæ, qui Theophraſto tanti erat, ut octogenarius unus horæ ceſſationem, & iacturam, quam in literis non poſuiſſet, lacrymis expiaret. Sed Theophraſtum flere ſinamus, & ſuas nimium amare literulas, nos verò libros non modò, quia dulces, ſed etiam quia ſunt valde ſalutares, amemus. Nam docti, & literati in virtutis decus & dignitatem clarioribus oculis intuentur: ſiquidem doctrina oculos circumdat melius quàm Iuno, quæ ut eſt in fabulis Argum centum oculis præditum boni cuiuſdam cuſtodix præfecit, quem tamen Argum Mercurius, ut eadem fabulæ dicunt, interemit. Vigilat draco ille peſtifer, tempuſque obſeruat, ut ſimulatque deſpexerimus, impetum faciat: ſed tamen quæ in libris legimus, caliginem ab animo tanquam

quam ab oculis dispellunt, vt insidi-
 antis mali dæmonis versutiam, atque
 artes videamus. Accedit veterator il-
 le, & sapientem in specula ac vigilia,
 perstantem, vt Mercurius alter, can-
 tus suauitate demulcet, & ea volupta-
 tum genera proponit, pollicetur,
 spondet, quibus virtus consopita con-
 niueat, sapiens calcitrat, respuit, negat
 esse tanti, cauetque ne mentis quasi lu-
 minibus gloriæ & fortunæ officiat
 altitudo. Neque solùm oculos libri,
 literæque contribuunt, arma enim
 præbent ad hostes occidendos, corpus-
 que ab iniuria tuendum. Nil est enim
 virtute literata valentius, quæ inimi-
 corum gladios retundit, vrbes expu-
 gnat, muros quatit, bella conficit,
 prouincias & regna deuincit: Diabo-
 li telis scripturæ clypeum opponit,
 atque obiicit: hanc enim resistendi
 & reluctandi rationem veritatis ma-
 gister docuit, qui illis verbis inimi-
 cum elusit, scriptum est: Non in solopa-
 ne viuit homo: vos igitur quotiescun-
 que dæmō petet, his ei armis obsistite,
 & gla-

Matt. c. 4.

X x 2 & gla-

*Ad Ephes.
6. cap.*

& gladium spiritus assumite, quod est
 verbum Dei. nil tam esse arduum po-
 test, quò non docta virtus ascendat, ni-
 hil tam remotum, quò non sapientia
 ex probitate, & bonis artibus apta per-
 uadat, nihil tam munitum, & septum,
 quod sanctis sit, eruditisque homini-
 bus interclusum. Esse autè hoc verum,
 Japoniorum, vt quæ sunt nimis anti-
 qua præteream, insula docet: nec
 enim remotissimæ illius regionis in-
 colæ antè religioni, & veritati Chri-
 stianæ credūt, & nostra sacra comple-
 ctuntur, quam eorum rationes atque
 argumenta nostræ Societatis patres
 infirmarunt, omnesque illorum dubi-
 tationes sustulerunt. Ita fit, vt literatos
 esse illos oporteat, qui gentem illam
 ad Christi fidem conentur adducere:
 Valent enim ingenio Japonij, rogant,
 vrgent, inquirunt, plurima, eaque ab-
 ditissima percontantur, quæ causa san-
 ctos illos Ecclesiæ doctores impulit, vt
 sapientiam cum religione coniunge-
 rent, scientia enim, vt bene Lactanti-
 us, non modo religioni non nocet, sed
 etiam

etiam plurimum prodest. Si is qui eam didicerit, sit (nam hæc eius sunt verba) virtutibus instructior, & veritate sapientior. Ergo hoc eodem Lactantio teste, multi sacræ fidei præcones ab Ethnicis hominibus reiiciebantur, quod aut omnino rudes essent, aut certè parum docti: nil enim nisi expolitum ac disertum probare poterant: nec quicquam in eorum animis inhærebat, nisi quod aures blandiori sono permulceret: nil verum putabant, nisi idem auditu suaue esset, nil credibile, nisi quod animos voluptate perfunderet. Et quia nemo ex illis sapientibus, quibus ignota fides erat, rem veritate, sed ornatu ponderabat, diuinæ legis doctor, qui indifertus, infansque esset, humanioribusque literis minimè tinctus, frustra laborabat. Et alio loco idem hic autor sic ait. *Non defugi hunc laborem, ut implem materiam, quam Cyprianus non exequutus est in ea oratione, qua Demetrianum (sicut ipse ait) oblatrantem, atque obstrepentem veritati redarguere conatur: qua materia non est usus, ut debuit. Non*

Lib. 5. de
iustitia. c. 1.

Ibidem. 4.

Xx 3 enim

enim Scripturæ testimoniis, quam ille utique vanam, fictam, commenticiam putabat, sed argumentis, & ratione fuerat refellendus. Nam cum ageret contra hominem veri-

Sanctus martyr & doctor Cyprianus ab hoc eodem Lactantio verbis laudatur amplissimis. lib. 1. de iustitia c. 1.
 tatis ignarum, dilatis paulisper diuinis lectionibus formare hunc à principio tanquam rudem debuit, eiq; paulatim lucis principia monstrare, ne toto lumine obiecto caligaret: nam sicut infans solidi ac fortis cibi capere vim non potest ob stomachi teneritudinem, sed liquore lactis, ac mollitudine alitur, donec firmatis viribus vesci fortioribus possit: ita & huic oportebat, quia nondum poterat capere diuina, prius humana testimonia offerri, id est philosophorum, & historicorum, ut suis potissimum refutaretur autoribus.

Hoc tamen desiderauit, in libro contra Demetrianum, nec à sententia Lactantij D. Hieronymus distinet in epistola ad Magnum oratorem Romanum, quam lege, quia perbelli est.
 Ex his Lactantij verbis intelligi potest, operam non male consumi in istis studiis: in quibus vos occupari nunc video: multimoda enim eruditione opus est, ut & Christianos in officio continere possimus, & infideles ad Christi legem adducamus. Itaque rex ille Babylonius cum à Daniele non modo somnij interpretationem didicisset, verumetiam somnium ipsum, quod

quod è mente exciderat, penitus recognouisset, Deum illum, quem Daniel coleret, verum Deum esse, & regum Dominum clarissima est voce confessus. Quid enim non sanctitas erudita perficiat, vincat, conuertat, & mutet? sine literis autem vsque adeò virtus debilis, & manca est, vt quidquid increpauerit, latebras, & solitudinem quærat, celebritatem fugiat, hominum cõgressus, & colloquia non religionis, aut silëtij, sed timoris causa sepe declinet: qui verò in Nauarro, Soto, Syluestro, & aliis scriptorib⁹ nõ volutati confessiones audiūt, qui diuinæ Theologiæ aut inscij aut à libris imparati concionantur, non modò errant, sed alios etiam in errorem inducunt. Veterum quorundam deliramenta, vobis nota esse existimo, qui Deum corporatum esse credebant, quorum stulta pertinacia non leues procellas excitauit. Quoties viri optimi illi quidem, sed non satis eruditi sententiam rogati, atq; de maximis rebus consulti vel ineptissimè pnciosissimèq; respõ-

Xx 4 dent,

dent, vel hærent, titubant, neque habent quo se vertat! Quamobrem cum doctrina virtutem sociemus, hæc enim vt optima velimus, efficit, illa volentes adiuuat, consiliis sapientissimis instruit, arma denique porrigit, quibus aut bellum inferamus, aut illatum defendamus.

Sed hæc enucleare delectat, nec est satis dicere generatim: exposuimus quæ tandem illa sint commoda, quæ præsidia literarum, quid præstaret, tribueretque scientia virtuti: sequitur: vt de illis rebus disputemus, quas vicissim scientiæ virtus largiatur: quarum cognitio non modo iucunda vobis erit, sed etiam salutaris: tria autem potissimum esse reperio munera & dona virtutis, otium, acumen, sanctitatem: tempus enim, quod ponamus in literis, vna dat virtus, ingenium ad res cognoscendas eodem manat ex fonte, sanctitas, quæ Christianam sapietiam à philosophica illa distinguit, ab hac ipsa Christiana virtute petenda est, quæ tria dum persequor, diligenter

atten-

attendite. De otio nemini vnquam
in mentem venit dubitare, sola enim
virtus quotidianis occupationibus, in-
numeris vel curarum, negociorūque
impedimentis, vel delectationum, ac
voluptatum blandimentis eripere,
tempus solet ad literas cognoscendas:
cumq; breuissima nostra sit vita, tamē
viuendi spaciū virtus profert, ac pro-
rogat, diurnitatemque quasi archi-
tectatur, atque efficit. Etenim virtus li-
bidinem comprimit, luxuriam rese-
cat, iracundiam tenet, vinolentiam
tollit, gulam coërcet, voluptatesque
exterminat, quæ sunt vitæ venena lon-
gioris, neminemque diu viuere pati-
untur. Somnum verò vitæ dimidium
à nobis exigentem, quem Aristo Chi-
us iure, ac merito publicanum appel-
labat, cui annorum tanquam agrorum
vectigal pensitamus, præclare sobrie-
tas circuncidit. Nam in cibo & potio-
ne continentes nos esse virtus cogit, ex
quo vigilantia nascitur, quæ multum
de somno detrahit, id est de mortis
imagine: nam ex sobrietate ficitas ex-

Xx s istit,

istit, quæ valetudinem tuetur, & producit vitam. Itaque Plato inter mortuum & dormientem, aut nil, aut parum interessè dicit, monetque, ut nocte homines surgant, propterea quod vigilantia non mediocri telum sit ad res gerendas, & consilium maximè de rebus capiendum. Cui illud est affine Virgilij Latinorum poetarum maximi.

Aenci. 9.

*Cætera per terras omnes animalia somno
Laxabant curas, & corda oblita laborum,
Ductores Teucrû primi, & delecta iuuentus,
Consilium summis regni de rebus habebant.*

Idemque Plato suæ Academiæ oleis, & vili pane contentus fuisse dicitur, & à conquisitis epulis opiparisque conuiujs refugisse. Nam tenuem victum somnus ille consequitur, quo & valetudinis detrimenta, incommodaque vitentur, & somniculosæ oscitantisque vitæ damna repellantur. Quid enim aliud causæ fuisse putatis, ut viri illi sanctissimi, atque etiam doctissimi & ecclesias, quibus præessent sanctissimè gubernarent, & nobis suis posteris

steris tam multa, tamque aurea scri-
pta relinquerent? Nimirum vitæ pro-
pagationem à temperantia petendam
arbitrabantur., neque eos aut spes,
aut opinio fefellit. Cùm enim episco-
pi essent, & rerum maximarum pro-
curatione distinerentur, tamen quia
temperantissimi fuerunt, otio in tam
multis, tantisque negociis abundare
potuerunt: magna igitur continen-
tiæ vis est, quæ innumerabilibus curis
pontificum vitæ comitantibus satiffa-
cere solita est, & cùm officium plenè
præstiterit, otium nanciscitur litera-
rum. Nota est morientis Theophra-
stiquerela de vitæ breuitate, qua na-
turam accusauit, quòd vitam coruis
quàm longissimam daret, quorum nil
intererat, hominibus autem ratione
utentibus breuem lucis huius vsuram,
impertiret: fore enim existimabat,
vt si nostra esset vita diuturnior, omni-
bus artibus perfectè erudiremur., nil-
que esset in rerum cognitione tam
abditum, & secretum, quod non stu-
diosorù diligètia patefacere, atq; ape-
rire

*Cicero in
3. Tuscul.*

rire pōtuisset. Sed Christianis nostris
 hæc Theophrasti vel accusatio, vel
 querela tanti non est, falso enim natu-
 ram arguerit, qui ei vitæ breuioris cul-
 pam assignarit: siquidem hominum
 scelera atque flagitia longissimam
 mortalium vitam angustarunt, hisque
 terminis, quibus nunc constringimur,
 definierunt, neque vitæ longitudinem
 annorum spacio, sed virtute & rectè
 factis metiendam putamus: satis enim
 diu vixit, qui piè sancteque vixit, est
 moriatur adolescens. Ac ne illud qui-
 dem probamus, quod sibi idem Theo-
 phrastus persuasit, qui non dubitabat,
 quin si hominum vita longinquior es-
 set, in rerum omnium cognitione vi-
 geremus, atque omnia mente lustra-
 remus. Habet enim quæque ars com-
 plexum infinitum, estque fundi tanta
 capacitas, ut ne immenso quidem tem-
 pore ab hominibus exhauriri possit:
 sed parcamus Theophrasto vitæ coele-
 stis æternitatem nescienti, & hanc vir-
 tuti gratiam habeamus, cuius ope, &
 vita præsens mirabiliter ampliatur, &
 ad coele-

ad c
 nitu
 dæ, c
 bu
 indu
 rum
 acie
 min
 pite
 nat
 om
 dis
 sten
 se e
 lyra
 vita
 fun
 tota
 effi
 inc
 qua
 hor
 stu
 val
 dif
 fide

ad cœlestem immortalitatem peruenitur. Sunt enim permulta propagandæ, dilatandæque vitæ sanctis hominibus medicamenta. Non enim amor indulgēt vitioso & turpi, q̄ & studiorum, & vitæ pestis est capitalis, mentis aciem præstinguens, tenebrasque hominibus offundens, & caliginem sempiternam. Quod enim ille tempus ponat in literis, qui potet, ludat, amet, omnia querelis, suspiriis, cōpleat, cordis stupore, & pectoris vulnus ostendat, suarum cupiditatum seruum se esse profiteatur, leuitatem cantu, & lyra demonstrat? quid tam esse cū vitæ, tum sapientiæ inimicum, aduersumque potest? mentem enim, quam totam literæ efflagitant, libido eripit, efficitque, vt qui eandem studiorum, incudem dies, noctesque tundere, & quater debeat, à literis, librisque abhorreat, langueat quotidie magis in studio scientiarum, curis cōficiatur, valetudinem affligat, vitam in sumum discrimen adducat, improbissimis desideriiis contabescat: tandiu enim dum
volu-

voluptas dominatur, cuius superbum atque agreste imperium est, nil se, suaque progenie dignum humanus animus agit, nil sapit, qui ita affectus est: nil ratione consequitur, meminisse, intelligere, monentibus auscultare, videre planè qualis, aut ubi sit, & sentire non potest. Sanctitas verò qua virtute est, impudicitiam, libidinem, atque venereas voluptates à gymnasiis exterminat, ab adolescentum cubiculis eiicit, procul amandat à sensibus, & continentiam scientiarum alumnam intromittit. Nam à venere, & vino, vel Horatio teste, fugiendum illi est, qui absolvere studia velit, & ad metam peruenire contendat: fieri enim non potest, ut libidinosus, ebriosus, aotus, petulans, & vitiis inquinatus adolescens processus faciat in literis, & dicendi, intelligendiue, vel mediocritate laudetur. Nec enim perfectio solùm, sed etiam ipsa mediocritas perennes vigilias requirit, sedulita-

In arte poetica.

litatemque desiderat non vulgarem. An vos aliam causam esse arbitramini, cur in tantis doctrinae praemiis, tanta multorum cum suauitate, tum auiditate discendi, tanta literatorum gloria, tantoque honore tam pauci sint, semperque fuerint, qui verè sapientes haberi possent? Omittendae videlicet sunt (vt Cicero dicit) omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, sermo etiam pene omnium familiarium deserendus: quae res homines à labore, studioque deterret, non quò aut ingenia deficiant, aut doctrina puerilis. Ergo cum literis, disciplinisque tam multa aduersentur, virtute opus est, quae sapientiae hostes vertat in fugam: voluptate delinimur? praesto est sobrietas, quae conuiuia comestationesque prohibet, accedit castitas libidinum, & amorum expultrix, instat seueritas cantus, symphoniasque repellens, atque reiiciens, nugis locum nullum relinquens:
cessa-

Pro M. Caelio.

cessare pigritia iubet? adest sedulitas, quæ nos dormire non sinit, nec ab studiis patitur auocari: difficultas à labore deterret? erigit & exsuscitat animum confidentia, perficitq; vt quidquid acciderit, simus armati: interpellant amici, & intempestiuè accedunt? at illos à se excutit prudens & fortis industria, cui téporis iactura dolori est, qua instimulante nullum otiosum spiritum, tranquillumque ducimus: angore conficimur, librosque præ tristitia deponimus? fortitudo succurrit, ægritudinisque leuationem ab honestis studiis, & literis docet esse sumendam, librisque tanquam baculis fulciri illos posse confirmat, qui ruūt, & propter doloris magnitudinem non possunt coherere. De otio hæc sint satis, de acumine pauca dicamus, deque ingenij acie, quam virtus exacuit, eos enim ingenij probitas est: itaque verè mihi videor esse dicturus non modo rectè agendi, sed acutè etiam intelligendi multumque in literis videndi ducem & magistram esse virtutem.

Nam

Nam cum vitæ sanctitas Deum nobis placatum propitiumq; reddat, sintque cum omnia, tū illa maximè, quæ rationis, intelligentiæq; lumen desiderant, ab immortali Deo petenda, atque optanda suppliciter: cui esse dubium potest, quin quò propiores Deo simus, eò clarius oīa videamus? Seruus tuus sum ego, inquit vates ille regalis, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. Nam vt D. Ambrosi. *in expositio Psal. 118.* interpretatur., intelligentia spiritale donum est, idcirco quod Dei est, à Domino postulatur: vis enim est hæc diuina, qua res tantas efficimus, tam multa meminimus, intelligimus, agimus, cōmentamur: quanto autē longius animum à corpore abducimus, tanto propinquiores Deo sumus. Itaq; sanctis hominibus non modo quæ infra lunam, quæq; supra sunt posita cognoscere, & plane videre, verum etiã in diuinæ nature recōditã, abstrusam admirabilẽq; intelligentiã penetrare licuit: scio equidem, & cum Prophetis Euangelistisq; plenissimo ore confiteor

Y y fiteor

fiteor diuina mysteria à nobis ne
 tēui quidē ex parte posse cōtingi, nisi
 diuinitus ostendantur: illis tamen pa-
 tet facta esse non ambigo, qui se pu-
 ros ab omni labe conseruarunt, ve-
 ram religionem & pietatem sanctissi-
 mē coluerunt, hancq; sibi directam
 viam ad plenam perfectamq; sapien-
 tiam munierunt. Neque solum ad res
 diuinas, & cælestes cognoscendas vir-
 tute opus est (quippe in maleuolam
 animam non introibit sapientia, nec
 habitabit in corpore subdito peccatis)
 sed etiam ad illa intelligenda, quo-
 rum magistra sit, præceptrixq; natura.
 Nullum enim tam esse perspicax in-
 genium potest, quod viciis dominan-
 tibus non hallucinetur, & in varios
 errores prolabatur. Nā de rebus perin-
 de vtaffecti sumus, iudicamus. Hinc
 opinionū portenta, hinc sectarum di-
 uortia, hinc hæreticorum turbulenta
 dissidia fluxerunt, quæ enim quisque
 appetebat, sic ad ea præcepta mentia
 ferebatur, vt cum flagitiosissima tur-
 pissimaq; essent, tamē sancta esse opi-
 naretur,

Sapient. 1.

Sapiens
 Sapiens
 Sapiens
 N.V
 12

naretur, & crederet. nã facile que volumus, credimus, nec cupiditatẽ rationi, sed rationem cupiditati, & libidini parere cogimus. Ergo morum corruptelam tanta mentis est cœcitas consequuta, vt nefariis sceleribus non impunitas modo, sed etiam diuinitas tributa sæpe sit, si quidem amorem illum, quo homines turpissimas voluptates inflammato animo concupiscunt, Deum summum poëta Cæcilius appellauit, de hoc ipso librum scripsit Alcæus, quorundam tota poësis amatoria est, poëtas commemoro, quos nugari sæpe delectat, nihilo sanior, mihi credite prisca illa philosophia fuit, quæ se vitæ emendatricem esse profitebatur, cui magis loqui, & scribere honeste, ac magni ficẽ, quam facere libuit. Cordis tamen ac linguæ dissidium sempiternum non fuit. Sæpe enim hæc duo consenserunt, vt & turpiter philosophi viuerent, & impudenter loquerentur. Vt enim Epicureos omittam, qui sapiẽtes omnia voluptatis causa fa-

cere dicebant, ipsiq; in amore, & voluptatibus vitam omnē collocabant, neque ab hac orationis & vitæ turpitudine refugiebant, Stoici, qui omnia ad virtutem referebant, nihilque humanis affectibus, ac sensibus concedebant, tamen amandi licentiam sapienti dederunt, multiq; alij philosophi extiterunt, qui autore Platone (quem non iniuria, neque invito Cicero, cui hæc turpiora displicent, Diccarchus reprehendit) huic amori autoritatem tribuerent. Hæretici & sæpe aliàs, & nostra hæc etate illam religionem sequuntur, & laudant, que nec opera à Christianis exigit, nec corporis castigationem imponit, nec vultum peccantibus negocium exhibet, quo nil fingi potest amentius, nil absurdius, nil Evangelio magis adversum. Quid enim tam non cum fide solùm, sed etiam cum natura ipsa, & ratione pugnat, quam quod Lutherus affirmat? Sed seclerum offusa caligo incredibilē hæc turpissimo homini, atque impurissimo cæcitatem attulit.

4. *Tuscul.*

attulit. Nam qui sobrij, qui temperantes, qui verecundi, qui casti, qui denique Christiane legis cultores sunt, prudentissimè & loquuntur, & sentiunt, late temq; eruunt, atq; extrahunt veritatem. Hæc enim, quæ à corpore existunt, plurimū valere solent ad mentem vel acuendam, vel etiam obtundendam. Ex quo efficitur, ut temperatione corporis valde proficiamus in literis, compressis illis partibus, quæ nimio cibo, & potione immoderata exultare, immodiceq; iactari solent. Saluber enim, & moderatus cultus, & victus, ut Socrates in Platonis Politia disputat, animi partem illam, quæ mentis, & consilij est, agit, exsuscitat, erigit: corpore enim nec inopia enecto, nec satietate affluenti obstupefacto, quorum utrumque perstringere aciem mentis solet, siue deest nature, quicquam, siue redundat, atque effluit, ratio elucere solet, & se vegetam ad intelligendum acremq; præbere. Atque hoc etiam apparet in bestiis, ex quibus ut quæq; continentissima est, atq;

Lib. 9. c. 22.

parcissima, ita maximè reliquis antecellit. Athenæus nobilis scriptor in primis Porphyriorem auem quacunque in domo versetur, matrú familias pudicitiam custodire narrat, cuius etiam in adulteriis tam mira præsentio est, vt si tale quid agnouerit, statim hero significet, seque ipsa præ moestitia, & dolore suspendat. Hanc auem idē scriptor affirmat, non prius cibum capere solitam, quàm locum reperit, vbi paulisper excurrat, quasi Socratis more obsonare velit deambulando famem: cuius etiam tanta mundities est, vt cibum non nisi lota desumat: erit igitur vobis Porphyrio castitatis, frugalitatis & munditiæ documentum. Democritus causam exponit, cur ante lucem, galli identidem cantant, nosq; ad quotidianas artes, atq; operas cantu exsuscitent, confecto enim, & in omne corpus distributo cibo, qui quàm sit modicus, temperatusq; & videmus, & scimus, cantat subinde gallus gallinaceus somno & quiete celeriter satiatus. Quod si tanta

vis

vis est ad habitum mentis in iis, quæ à corpore existunt, illudq; temperare virtus solet, nemo dubitare iam poterit, quin à virtute ingenium vel tribuatur, vel certè mirabiliter augeatur: sitque frugalitatis magna vis ad industriæ aculeos erigendos. Id quod Horatij versus illi demonstrant.

Lib. 2. ser.
Saty. 2.

*Quæ virtus, & quanta bonis sit vivere paruo
Discite non inter lances, mensasq; nitentes,
Cum stupet insanis acies fulgoribus, & cum
Acclinis falsis animus meliora recusat:*

*Verum hic impransi mecum disquirite, cur
hoc?*

*(omnis
Dicam si potero, malè verum examinat
Corruptus iudex.*

Ad sanctitatem veniamus, quæ tertia erat ex iis rebus, quas à virtute literæ mutuantur: nec erimus in hac explicanda parte longiores. Nemo enim non videt, quem ex virtutis commercio fructum literæ capiant. Quidquid enim in sapientia pulchritudinis, decoris, luminis, & vitæ est, id totum accipit à virtute. Nam ut color cerni sine luce non potest, ita li-

terate & eruditæ mētis omnis illa species viciis tanquam tenebris obscurata ex omnium oculis euanescit. Expers enim doctrina virtutis statua quædam marmorea est, in quam Davidis illa conueniunt: Aures habet, & non audit, oculos, & non videbit, & cætera, quæ grauissimè sanctissimeque persequitur, Quid enim scientia sine charitate possit, & Christiana iustitia, qua sancti efficimur, & ab illo rerum omnium laudandarum largitore & patre cooptamur? Quæ etiam causa est, ut neque Græcis ingenium, neque Romanis industriam, neque Chaldeis Astrologiam, neque Ægyptiis, Persis, atque Indis reconditum quoddam sapientiæ genus inuideamus, quorum literis veræ virtutis lumina defuerunt. Damus antiquis hominibus eloquentiam, tribuimus philosophiam, largimur industriam, literatam virtutem non damus, quæ erat veræ pietatis cultoribus reseruata: qui eò esse meliores solent, quo plura ex libris didicerunt. Ex hoc genere & numero sancti fuerunt

Eccle-

Ecclesiæ doctores, qui diuinæ sapien-
tiæ se totos dederunt, humanæ quo-
ad licuit studuerunt, veterem philo-
sophiam correxerunt, & vbicunque
pedem ponerent, virtutum maxima-
rum impressa vestigia reliquerunt.
Horum vos imitatores, discipulosq;
præbentes ex veterum oratorum elo-
quentia illa reiicite, & refecate, quæ
puritati Christianæ videbuntur ad-
uersa. Nam mentiendi excidenda li-
centia est, quam diuinis legibus inter-
dictam Quintilianus, & antiqui Re-
thores oratori dederunt. Amputanda
procacitas, lingua coërcenda, nec qui
à nobis dissentiant, probris continuo
sunt, & maledictis lacerandi: pellen-
da etiam arrogantia est: has enim si ex
facultate dicendi maculas delemus,
non modò suum ius eloquentia reti-
nebit, sed suum etiam splendorem &
decus recuperabit: vestra sit sancta po-
ësis, & casta: intelligatur Dialecticam
non vociferandi, aut pertinaciter ab-
nuendi, sed veri inquirendi artem
esse & rectè disputandi; regnet philo-
sophia

Y y 5

sophia

fophia non modò errorum, in quos antiqui inciderunt, sed etiam morum emendatrix: neque sit satis niuem, vt est: sic etiam videri candidam (quæ tamen Anaxagoræ atra semper est visa.) sed detur opera, vt vita sit niue candidior. Medicinam qui discet, se etiam ipse curet, atque intus & in cute cognoscat: qui se ad iuris scientiam contulerunt, eo animo esse debent, vt controuersias dirimere, quam litium actiones constituere malint, aliisque potius consulere, quam inaurari cupiant, & bonis affluere. Diuinæ verò tractatio Theologiæ optimum & amplissimum quemque desiderat: neque enim idem apud omnes potest, tum valet multum, cum est & animum nacta purissimum, atque integerrimum, & idoneam complexa naturam. Trinitatem, Diuinitatē, Patrem immensum sua vi coherentem, generatum à Patre Filium ante omnia secula & ab omni æternitate, Spiritum sanctum, à Patre & Filio procedentem, Christi filij Dei vnigeniti & ortum, & obitum,

tum, & ad vitam reditum, Mariam matrem, & eandem Virginem, sacrosanctam Eucharistiam, & ea mysteria Theologia loquitur, quorum est inexplicabilis magnitudo. Carpo insigni Theologo magnus ille Dionysius Areopagita miræ sanctitatis testimonium dedit, eumque propter mentis puritatem ad diuinas res contuendas fuisse dicit aptissimum. Quem utinam Theologi imitarentur, neque illos tam sæpe cæcæret ambitio, dissensio turbaret, inuidia conficeret. ceteræ veniunt contradicentium non eruendæ veritatis studio, sed libidine reclamandi: ut non opinionum, & iudiciorum, sed voluntatum atque animorum discordia esse videatur. Euellite, euellite ex animis vestris tumorem, & arrogantiam, & ad diuinam hanc Philosophiam addiscendam, mentis candorem adhibete, purisque & sensibus, & moribus ad Theologiæ sacrarium accedite. Theologus enim in ratione vitæ peccans hoc turpior est, quòd in ea, re, cuius

*In episto. ad
Demophi.
monachum.*

re, cuius magiſter eſſe vult, offendit, & labitur: artemque vitæ profeſſus, vt quidam peracutè dixit, delinquit in

Cic. 2. Tu.

vita. Itaque ipſa ſe ſæpe læſa Theologia ſolet vlcisci: vt enim de illis taceam, qui vel quòd ſanctiſſimas religiones polluiſſent, vel à fide Catholica defeciſſent, debitas pœnas ſoluerunt, improbitas ipſa ſimulationis artificio cæſata quàm eſt grauis, quàm horribilis, quàm periculofa, quàm tetra! quæ licet homines fugiat, tamen præpotenti illi Deo, atque omnia ſpeculanti ignorata eſſe non poteſt. Ego libros, membranas, & chartas hominis eruditi illius quidem, vicioſi tamen & impuri flammæ atque incendiij commodiſſimam puto eſſe materiã. Caſſius Parmenſis, ſi Horatio credimus tam multa ſcripſit, vt ſuis ipſe libris capſis, & ſcriniis fuerit ambuſtus: corpora enim mortuorum antiqui cremabãt: multorumque ex Chriſtianis ſi non corpora, quæ manent in ſepulchro, at animum apud inferos ſcripta ipſa comburunt: neque non corpus ardebit

*Lib. 1. Ser.
mo. Saty. 10*

ardebit, postquam mundus fuerit iudicatus. Non hic Aristotelem, non Ciceronem, non Virgilium, non ex hæreticis aliquem ab inferis excitabo, id quod Rhetores in scholis facere solent: non illos, quorum infrugifera, & infructuosa sapientia fuit, & studendi labor inanis, mortuos querentes, & lamentantes inducam, non exclamantes faciam, horasq; quas in literis collocauerunt, execrantes: non est opus fictione personarum: historiã enim verã, probatam, grauẽ proferre possumus illius doctoris, quem Lutetia Parisiorum ferebat in oculis, amabat, colebat, obseruabat. Qui cum in grauẽ morbum incidisset, & à medicis omnia tentantibus releuari non potuisset, sacris omnibus procuratis excelsit è vita. Quam autem esset omnibus charus ipsa superemi diei celebritas indicauit: nam ad eius exequias honestandas omnium ordinum homines conuenerunt, quibus funus prosequentibus mortui corpus in templum illatum est, in quo erat effossa iam, & aperta

*Ex historia
Doctoris
Francisci
de Puteo,
qui primaria
Carthæ
sua præse-
ctus fuit.*

aperta sepultura. Cùm autem sacri homines funebres hymnos Ecclesiæ more, atque instituto concinerent, & preces illas, quas defunctorum vigiliis appellamus, flebilib⁹ numeris, ac modulis decantarent: cantorq; ad illa verba ex Iob libro sumpta: Responde mihi, peruenisset, mortuus caput extulit, & ex feretro ipso cunctis & audientibus, & obstupescentibus ita est loquutus, iusto Dei iudicio accusatus sum: quæ ubi dixit, caput in lecto reposuit: hac mortui audita voce omnes, q̄ aderant, mente & totis artub⁹ contremuerunt, sepulturæque honorem cautè & prudenter in proximam lucem distulerunt, quorsum enim monstra illa eruptura essent, videre cupiebāt. Postero die cùm multò plures rei inaudite fama comoti ad spectaculum concurrissent, repetitisque exequiis cantor eadem illa verba: Responde mihi, tandem pronunciasset, mortuus caput item attollens, iudicatū se esse clamavit, qua finita voce in funebri puluino resedit. Nemo non cohorrescit, admiratur,

ratur, stupet, sed quia nondū satis explicata res erat, omniū consensu tertia expectata vox est, quæ ambiguitatem tolleret, quæque damnatus ne, an absolutus esset ostēderet. Die tertio cū dimidiatis similiter exequiis, ad illud lugubre carmē, cuius principium est: Responde mihi, ventum esset, mortuus voce contenta, iusto Dei iudicio se esse damnatū affirmavit: quæ mortui confessio omnium animos perculit & perturbavit. Vita enim mortui veniebat in mentē, cum qua horribile mortis genus minimè cōgruere videbatur. Ergo omnes perterrefacti sibi metuerē, solitudines cogitare, Deū inclamare, deliberare, ambigere, & hæsitare incipiūt. Mortuus ex templo, & sacris illis ædib⁹, quas trina illa voce funestarat, extractus sine cātu, sine pompa, sine imaginibus inhumatus proiicitur, nec enim fas erat illius mortē honorari, cuius vita esset condemnata. Apparuit non ita animo, ac vita constitutū esse doctorem illum, vt ratio postulabat, quam erat immortalī Deo redditurus.

diturus. Disciplinam non legem vitæ sed ostentationem scientiæ putauisse, neque alios monentem sibi obtemperasse, & suis decretis paruissè. Nam appensus in statera inuentus est minus habens. Hoc inauditum, horribi-

Danie. c. 5. leque portentum, ac visum metuendum sancto Brunoni, qui rem spectarat, causam attulit Carthusiæ fundandæ, quæ iam annos quingentos vnus moribus, & iisdem legibus viuuit, nilque de prima asperitate detraxit: sed talis persistit, & permanet, qualem Bruno constituit. Quod quamti sit, vel ex Cicerone discimus, qui Lacedæmoniorum in legum, & officij perpetuitate cōstantiam verbis ornauit amplissimis. Et quidem Parisiensi illi do-

*In oratione
pro Flacco.*

ctori faciendum non fuit, vt literas à virtute seiungeret, improbæ enim mentes à cælestis regni communicatione prohibentur, tametsi literas auidè arripuerint, & ad summam scientiæ laudem, gloriamque peruenerint. Dicere enim quàm facere maluerunt: qui autem præstat vtrumque, vt
& bene

& bene dicat, & rectè uiuat, eius vitæ consentanea mors est, & in calo vita immortalis. Quare nunquam satis laudari virtus literata poterit, quæ studia ipsa mirifice cohonestat. Virum enim virtute præditum, & à literis, scientiaq; instructū nil vnquā pœnitebit. Dat huic religio pietatē, charitas ardorem, castitas mundiciē, constantia firmitatem. Hunc eundem facit mansuetudo lenem, iustitia bonum, misericordia beneficium, benignitas liberalem, cautio prudentem, sobrietas vigilantem, tolerantia patientem, fortitudo magnanimum, temperantia modestum, assiduitas doctum, sedulitas officiosum, recta animi affectio sanctum, literæ sapientem. Vera enim sapientia, cuius parens sanctus est Spiritus, ex virtute & literis efflorescit. Hanc Salomon regnis omnibus anteponit, in ea adipiscenda omnes corporis cruciatus parui ducere necesse est, huius cōparatione aurū, argentū, gemmæ, pretiosi lapides, margarite, tabulæ, si-

*Prover. 8.
Sapient. 7.*

Zz gna &

gna, & qd quid illud est, quod mundus
 admiratur, & suspicit, luti instar, obti-
 nebit. Hanc Prisca Philosophia adum-
 brauit, Apostolorum sanctitas expressit,
 martyrum constantia retinuit, virgi-
 num integritas conseruauit, omnique
 amputata & circuncisa uerborum & re-
 rum inanitate magni Ecclesiae docto-
 res coluerunt. Hæc monachos in solitu-
 dine comitatur, hæc concionatorum
 magistra est, hæc artium omnium præ-
 claros magistros instituit, hæc viros &
 foeminas ad uirtutem excitat, deliciisq;
 spretis secum uiuere, uel cum Deo poti-
 us cogit habitare. Ad hoc uirtutis &
 doctrinae commercium respexisse mihi
 uidetur ille q. dixit: Bonitatem, & disci-
 plinam, & scientiam doce me, quæ pre-
 catio charissimi adolescentes, uobis sem-
 per esse debet in ore, ut à Deo Opt.
 Max. egregium hoc & admirabile be-
 neficium & donum literatae
 uirtutis impetrare
 possitis.

Psalm. 118: